

A. 488.





D E  
**LINGUARUM CONSENSU**

---

D I S P U T A T I O

Q U A M

A U C T O R I T A T E

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

P R O P O T E S T A T E

SCHOLAS IN ACADEMIA FRIDERICIANA

H A B E N D I

D. XXVI. JUL. MDCCXCVI.

P U B L I C E D E F E N D E T

A U C T O R

T. G. V O I G T E L,

PHILOS. DOCTOR, AA. LL. MAGISTER,

GYMNAS. LUTHER. COLLEGA,

A S S U M T O S O C I O

I O. C H R I S T O P H. S T O E P H A S I O,

S E M I N. P H I L O L. R E G. S O D.

---

H A L A E,

T Y P I S B A T H E A N I S.



Ba 213

V I R O

PERILLUSTRI ATQUE EXCELLENTISSIMO

FR. HENR. STUBENRAUCH,  
COLLEGII, QUOD FERDINANDI SERENISSIMI  
BORUSSORUM PRINCIPIS VECTIGÁLIA  
ADMINISTRAT, PRAESIDI, REL.

PATRONO OPTIMO MAXIMO

H O C

Q U I D Q U I D E S T L I B E L L I

P I A E M E N T I S M O N U M E N T U M

HONORIS ET GLORIE LIBELLUS  
IN PIAE MENTIS MONUMENTUM  
AD HONOREM EXCELSIUS LIBELLUS  
EX CIVITATIS GLORIA ET VIRTUTE.

C O M I Z I A M G I A L A C C O M P O S T A

D. D. D.

A U C T O R.

§. I.

Eruditos de linguarum et consensu et diversitate  
diu multumque disputasse, quis est quem fugiat?  
Nec mirum; est enim locus, quo nescio an alias  
materiam disputandi largiorem suppeditet. Cum  
igitur mihi scribendus esset libellus, quem pro  
potestate scholas in Academia Fridericiana habendi  
defenderem, non alienum putavi, breviter *de lingua-*  
*rum consensu* differere. Quod argumentum  
agredienti tres, quae ad finem ducerent, viae  
mihi patere videbantur. *Linguarum enim consen-*  
*suum ostendere aut historice, aut ducere ex linguae*

A *notione,*

*notione*, aut *utrumque* me posse *conjugere*, facile mihi persuadebam. Postremum tandem praevaluit; quod quomodo in dissertatione mea perfecrim, aliorum sit judicium.

§. 2.

In tres vero partes totam disputationem distribui, quarum prima est de *fine*, altera de *origine*, tertia de *forma* linguarum.

§. 3.

Ne autem lectores alium, ac nos optemus, sensum verbis subiiciant nostris, linguae notio, quia tota quaestio ab ea pendet, a nobis est tradenda. Hoc vocabulum tam *subjectivam* quam *objectivam* significationem habet. Prior nobis esse videtur: *hominis facultas notiones suas sonis*, quos vocant, *articulatis notandi*; posterior: *soni omnes articulati*, *quibus suas quisque populus notiones exprimit*. Non nisi hunc sensum, si de linguarum consensu loquimur, linguae vocabulo nos tribuere, quivis, nobis non monentibus, intelliget.

§. 4.

## §. 4.

Ex posteriori definitione apparet, eo tendere linguas, ut designent notiones. Quod si conceferis, hoc ipso confirmas, omnino omnes linguas notionibus tamquam fundamentis niti, ad easque esse referendas. Notiones vero rerum e notis, quas rebus ipsis tribuimus, hauriuntur. Mens enim ita comparata est, ut, nisi e primis suis actibus unam pluresve deponat notas, rei notionem fingere nequeat. Sunt vero actus illi, seu *naturae*, quas dicunt, vel *Quantitatis*, vel *Qualitatis*, vel *Relationis*, vel *Modalitatis*. Homo igitur, ubique terrarum degat, cultior vel incultior, actibus illis mentis non caret.

## §. 5.

Quodsi hic disputamus de notionum notatione, non intelligimus notas, e quibus, ipsis rebus tributis, ut supra docuimus, oriuntur notiones, sed notarum signa, sensibus nostris subjecta. Sine illis nimirum cogitare homo non potest, at sine his valet. Itaque miror, qui fiat, ut et no-

ftris temporibus quidam tueantur sententiam: hominem sine *verbis* cogitare non posse. Quae sententia, quam inanis sit, vel muti, cui homines illi boni mentem, ut spero, non abjudicabunt, perspicuum probat exemplum.

### §. 6.

Quam vero diversi sunt in hominibus sensus, tam diversa notiones nostras significandi genera. Sensus enim nostros omnes ad signa notionum capienda idoneos esse, singulisque eorum, pro temporibus, signa dari posse, experientia scimus edocti.

### §. 7.

Quid vero, quaeret fortasse quispiam, quid est, quod homines reliquis notionum signis sonos, eosque *articulatos*, ita praetulerint, ut iis ipsis ad generaliorem notiones notandi modum uterentur? Ad quod si accurate responderimus, omnium nos linguarum originem ostendisse putabimus. Liceat vero prius, quam hoc doceam, paucis, quid sonis

*arti-*

*articulatis* intelligi velim, explicare. Sonus omnino oritur, cum aër vibratur; *articulatus*, cum aër, a pulmone repulsus, atque hoc ipso vibratus, ab oris partibus diversis dirigitur et modificatur.

§. 8.

Itaque sine aëre neque edi sonum, neque promoveri posse intelligimus. Aër autem quia undique nos circumdat, aures raro ad locum, a quo sonus profectus est, dirigere cogimur; oculos contra ad rem, visui subjectam, quin convertamus, fieri non potest. Praeterea notionum signa, quibus visum afficiamus, multum tam laboris, quam temporis saepius exigere, auditui contra vel uno fono interdum, quid cogitemus, significare nos posse, quis nescit? Porro distincte videndi facultas arctis est limitibus circumscripta, at sonum, quamvis longe remoti, auribus accipere possumus. Adde, quod notionum signa, visui subjecta, dormienti dari nequeunt, sonus autem, isque acutus, tam alte sentitur, ut quemvis excitet e somno. Sonus denique et diei et anni tem-

porum

porum vicissitudini tantum abest ut aequa subje-  
ctus sit, ac signum, quod oculis cernatur, ut  
nocte potius maxime caliginosa audiatur, atque  
interdiu per nebulam penetret densissimam\*). Qua-  
re efficitur, ut soni longe aptiora sint ad notiones  
notandas signa, quam quae oculos feriant; reli-  
quos enim sensus mitto.

## §. 9.

Ceterum non nisi sonis *articulatis*, notiones  
comprehendentibus, linguam quamlibet constare,  
ex *linguae* patet definitione. (§. 3.) Quaeritur  
autem, cum et aliis, ac linguae sunt organa, in-  
strumentis sonos excitemus, notionesque eis ad-  
jungamus, cur homines linguam considerint e so-  
nis, quos vocant, *articulatis*? — Quod proprius  
est homini, quodque idem efficit, quod aliud, ab  
eo remotius, id prius arripitur. Atqui homo, lin-  
guae organis instructus, in se ipso sonorum eden-  
dorum

\*) V. LAMBERT's neues Organon. Leipz. 1764.  
p. 10.

dorum facultatem deprehendit; ergo hos ipsos sonos omnibus aliis, quos ars postea ad notiones notandas invenit, eum praetulisse observamus.

§. 10.

Ubicunque igitur vixerint homines, suasque notaverint notiones, tamen eos non potuisse, quin sonos articulatos reliquis notionum notandarum modis praeposuerint, plane nobis persuademus. Etenim ingenii humani proprium est, ut ad perfectiora ascendere semper nitatur. Hunc solum esse fontem, e quo omnium linguarum origo sit haurienda, facile intelligitur. Nihilo minus non pauci reperiuntur, qui omnes linguas, quod omnes homines ab uno pari descendant, ab una esse ducentas, acriter defendant. At, homines ab uno pari originem trahere, mihi non magis demonstrabunt, quam ego hujus sententiae contrarium. Nam cum de causis earumque effectibus loquimur, nosmet ipsos intelligimus, quoad secundum *Causalitatis* categoriam ab effectibus ad causas regressum sequimur. Atqui *Causalitatis* legibus

non

non repugnat, si homines vel ab uno vel a pluribus paribus ortos fingamus; ergo hac via certi aliquid invenire non possumus. Historia autem, quam nonnulli ad sententiam illam trahunt stabiliendam, quod originis linguarum tempora non attingit, nullius mibi momenti esse videtur.

§. II.

Nec tamen ideo adfirmamus, sonos articulatos homini esse insitos atque innatos, immo vero statuimus, eos ipsi aequae esse addiscendos, ac vera rerum intervalla \*). Etenim quis est, qui infantem, in lucem modo editum, audiverit unquam loquentem? — Mutus adultus, qui multo luculentius exemplum praebet, an unquam sua sponte vel unum protulit verbum? Etsi enim omnibus linguae organis instructus est, confusam tamen vel inarticulatam (ut hoc vocabulo utar) vocem edit, qua cupiditates suas indicat, animoque suo rerum,

ipsum

\*) V. MONEODDO von dem Ursprunge und Fortgang  
ge der Sprache, übersetzt von E. A. SCHMID,  
2 B. 8. Riga 1784. I Th. p. 160.

ipsum circuindantium, imagines effingit, ut ex earum signis, quas communicat cum aliis, apparet. Accedit, ut verba, licet diligentissime institutus sit, distincte nunquam valeat efferre \*).

§. 12.

Quodsi hominibus soni articulati non innascuntur, sed discendi sunt, necessario faciendum, ut, a quo primi didicerint, quaeratur. Cui quidem rei satisfecisse putabimus, si linguarum inventores naturam sonos edentem, magistrum habuisse et ducem probaverimus \*\*).

§. 13.

Mens nostra cum nullas rerum notas captura esset, nisi res ipsae adessent, sonum etiam, nisi natura eum ederet, rei, tanquam notam, non posset tribuere. Jam vero cum rei notae signandae sint, notarum signa quin notis ipsis sint similia, fieri nequit.

\*) v. HEINECKENS Beobachtung über Stumme.

\*\*) v. HERDERS Preisschrift über den Ursprung der Sprache. Zweite berichtigte Ausgabe. Berlin 1789.

nequit. Verba ergo prima, ut notarum signa, quae exaudiri possunt, non nisi a notis, sonum edentibus, profecta esse, nihilque nisi notarum illarum imitationem fuisse, colligimus. Id quo experientia etiam confirmat. Infantes enim, hominesque inculti nisi quodam ad res, antea sibi non oblatas, a naturali fono, quem proferunt, appellandas, impelluntur. Itaque ab infantibus, qui sibi ipsi verba abstrahunt a rebus, major v. c. canis *Hau* vocatur, vacca *Buh* cet. Similiter Sene-galis fluminis accolae cum tormentum igniferum a Lusitanis explodi primum audirent, nomine *Puff* insigniebant, plane ignari, et Europaeos tormento cuidam ignivomo, soni causa, nomen *Puffer* induisse. Eiusmodi vero verba, naturam sonantem imitantia, in omnibus, quae adhuc innotuerunt, linguis, quamvis et tempore et loco separatae sint, reperiuntur. Quae sententia quo magis arrideat, notiones quasdam, similibus verbis in pluribus orbis terrarum linguis expressas, licet investigare, *Tonitru* v. g. vocabulum sonat

in

## in Asia:

apud Hebraeos		כְּנָסִים
- - Arabes		جَرَبَّا
- - Lesgos		Gurgur.
- - Persas		Tündür.
- - Indos		Gurjuna.
- - Tamulos		Udi.
- - Armenios		Gouer.
- - Wogulos		Tschachlo.
- - Ostiacos		Tschuge.
- - Ofetos		Uat.
- - Tartaros		
a) Baschkiros		Kokri.
b) Kasagos		Gükguruldir.
c) Ad fl. Jenisey		Kugurt.
d) Ad fl. Tobol		Kuch.
- - Jakutos		Eting.
- - Kartalinos		Kuchili.
- - Imiretos		Gurgin.
- - Kabardinos		Gagwa.
- - Tschetschenzos		Delu.
- - Inguschouzos		Mog.

apud

apud Kumükos	Kutiburi.
- - Samoiedos	Chailun.
- - Mongolos	Tengeri - dogorchu.
- - Tungusios	Akdi.
- - Koriäkos	Kihihelan.
- - Kamtschadales	Kügküch.
- - Incolas inf. Kuril.	Um.
- - Malayos	Gontor.
- - Chinenses	Lui.
- - Japones	Kaminari.
- - Anamitos	Sam.
- - Andos	Chuchudi.

## in Europa:

apud Lusitanos et Hispanos Trovao.

- - Cantabriae incolas	Chortkirie.
- - Franco - Gallos	Tonnerre.
- - Britannos inf.	Kudurun.
- - Anglos	Thunder
- - Cambro - Britannos	Taran,
- - Germanos	Donner.
- - Germ. inf.	Grummel.

apud

apud Venedos	Rimani.
- - Danos et Suecos	Tordön.
- - Polonos	Grzmienie.
- - Lithuanos	Growimmas.
- - Livonos	Pehrcons.
- - Efhos	Mürriftaminne.
- - Turcas	Giorüldü.
- - Graecos	Bęorty.
- - Hungaros	Dörgesch.
- - Slavos	Grom.
- - Italos	Tuono.

## in Africa:

apud Koptos	Charabai.
- - Guineae incolas	Fancome furra.

## in America:

apud Brasil.	Tupan.
- - Grönlandos	Kallex.
- - Virginios	Paiackok.
- - Caraibos	Oüallouhouyourou.
- - Peruvianos	Kununununnun.

in

in Polynesia:  
apud incol. Otaheiti inf. Patire.

*Grando*

apud Hebraeos	תְּבַשֵּׁלֶם
- - Graecos.	χαλαζία.
- - Italos	Grandine.
- - Hispanos	el Pedrisco.
- - Franco - Gallos	Grêle.
- - Anglos	Hail.
- - Germanos	Hagel.
- - Slavos	Tozha.
- - Polonos	Grad.
- - Bohemos	Krupobiti.
- - Turcas	Dolu.
- - Hungar.	Keü - effeü.
- - Cubens.	Kuracan.

*Cuculus*

apud Graecos	Κοκκυξ.
- - Syros	Coco.
- - Persas	Coucou.
- - Franco - Gallos	Cocu.

apud

apud Anglo-Saxones	Gaec.
- - Anglos	Cuckoo.
- - Suecos	Gjök.
- - Islandos	Gaukr.
- - Germanos	Guckguck.
- - Dalmat.	Kukavicza.
- - Polonos	Kukulka.
- - Bohemos	Ziezugule.
- - Hungaros	Kakuk.

## §. 14.

Linguarum igitur initium et si nihil nisi naturae sonantis imitatio est, omnium tamen linguarum radices plane sibi similes, vel consonas esse, inde non efficitur. Dubitare enim non possumus, quin primi oris soni, quibus linguarum inventores, utpote qui necessarium ab haud necessario nondum segregare didicerant, naturae sonos imitari studebant, mixti fuerint et confusi. Quod et hodie omnes incultae linguae exemplo suo testantur \*).

Si

\*) v. MONEODDO über den Ursprung und Fortgang der Sprache, Th. I. p. 318. seqq.

Si igitur ponamus, duos populos iisdem radicibus usos esse, at alterum altero prius eas expolivisse, diversitas quaedam inter radices ipsas exoriretur, necesse erat. Praeterea cum ejusdem rei soni aliter atque aliter percipientur, factum est, ut aliis alium sonum imitaretur. Varii autem quamvis sint rei soni, a re tamen ipsa, quod suus cuique rei sese moventi proprius sonus est, seiuengere non possumus. Quae cum ita sint, necessario fit, ut verba, tanquam sonorum illorum imitationes, quod innuat rem ipsam, id semper contineant. A quibuscumque igitur sonis vocabula originem traxerint, in eo tamen consentiunt, quod sonos rei proprios imitantur, neque fieri potest, quin, qui talia diversarum linguarum vocabula audiat, unius ejusdemque rei, cuius sonos unquam audiuit, reminiscatur. Varii v. c. *tonitru* sunt soni, ideoque varia apud diversas nationes ejus nomina; (v. §. 13.) at nemo sane est, quin omnibus illis vocabulis inesse naturae sonantis imitationem intelligat.

## §. 15.

Qui vero siebat, ut, etiam si prima omnium linguarum vocabula nihil nisi rerum sonantium imitationes fuerint, linguarum inventores etiam res, nullos edentes sonos, sonis notarent? — Homo semel viam, res, auditui subjectas, sonis articulatis notandi ingressus, sonorumque illorum praestantiam secum reputans, omnibus sane viribus eniti debuit, ut et reliquas res, quas tantum cernebat, tangebat — eodem modo signaret.

## §. 16.

In rebus ita signandis a sensibus ipsis multum adjuvabatur. Sunt enim naturali quodam vinculo conjuncti; unde et *sentire* de quovis usurpatur sensu. Ex quo sequitur, motum, (Empfindung) quem unus sensus nobis adferat, motui ab altero sensu profici scendi similem esse. Ergo et in denotandis notionibus unum motum in alterum transferre possumus, id quod innumera omnium linguarum vocabula probant. Sonant v. c. vocabula, quae res, proprie oculis tantum expositas, notant. Vernaculum *Licht* et latinum *lux* nonne celerrimi

B

motus

motus sonum imitantur? — Ruber color, qui omnium maxime aciem compungit, ab uno eodemque naturae sono *rut*, celerem motum imitante, multis in linguis nomen traxit. Germani v. c. dicunt: *roth*; Angli: *red*; Valesii *rhudd*; Latini: *rut-ilus*; *ruf-us*; *rub-er*; Graeci: ε-ρυθ-ρος; Arabes: *i-raed-don* cet. In germanico *glatt* et in latino *laevis* tactum celeri motu progreedi audimus, at in vocabulis *rauh* et *hispidus* aures tactu sonante feriuntur. Vocabula autem, quae sonum prae se ferre non videntur, gradibus saepe a vocabulo, naturae sonum imitante, descenderunt, ideoque hodiernae significationis originem detegere non possumus. Praeterea cum ad motus, ab auditu profectos, transferendos in motus, quos alii sensus adferebant, res animo effingendi modus singularis, singulorum hominum indoles, innumeraeque res aliae multum adtribuerent, mirum non est, cur alius populus hoc, alias illo naturae sono usus sit, ut notionem ab alia translatam signaret. Itaque notionum saepe similitudo originem vocabulorum innuet, etiam si in radicibus ipsis nullus sit

fit consensus in promptu. Vocabula v. g. *anima*, *spiritus*, πνεύμα, αέρος nihil nisi halitus imagines esse qui scit, sane non dubitabit, originem vernali *Geist* ex eodem fonte derivare. Quam vocem olim vere significasse halitum, ejusque igitur imitationem fuisse, deprehendimus. Hinc apud Anglo-Saxones *gust* idem est ac *flare*. Quae omnia docere possunt, mentem humanam omnibus in regionibus una eademque via progressam esse. Qui igitur linguarum consensum in ejusmodi vocabulis fortuitum modo contendit, is indolem linguarum non nisi leviter tetigisse nobis videtur.

§. 17.

Quod eruditi de linguarum origine judicarunt, duo ad capita referri potest:

- 1) Homo sua sponte notiones suas sonis articulatis notavit.
- 2) Omnium rerum auctor ipse primis hominibus linguam infexit.

B 2

§. 18.

## §. 18.

Posteriorem sententiam qui amplectuntur, nodum secant, non solvunt, perspicuitatemque relinquunt. Quod fane non facerent, si intelligerent, linguarum inventionem neutiquam superare vires humanas.

## §. 19.

Prius qui contendunt, abeunt in tres partes. Alii enim sumunt, omnium linguarum initium non nisi naturae sonantis imitationem fuisse, id quod supra magis stabilire pro viribus conatus sum. Alii judicant, linguas constare signis, de quibus homines convenerint. At explicit nobis velim, quid causae fuerit, quin linguae cultiori, licet multis notionibus locupletatae, addita sit radix, nisi a re profecta, quae sonum edebat antea non auditum, aut nondum in linguam illatum. Alii denique docent, linguas ortas esse ex interioribus animi motibus. Quorum autem sententia

vel

vel primo adspectu a mutis refellitur, quos, etsi interioribus animi motibus non careant, ne unum quidem verbum invenisse, constat.

§. 20.

Nunc de linguarum *forma* dicendum esse videtur, quae in notionibus, quatenus verbis exprimuntur, earundemque conjunctione versatur. Lingua igitur, qualiscunque sit, non plura potest vocabulorum genera, quam sunt notionum, continere.

§. 21.

Qua vero re neutquam adfirmatum volumus, in omnibus linguis, quot notionum sint, tot vocabulorum esse genera; satis enim constat, homines incultos, item infantes vel enuntiationes uno vocabulo comprehendere. *Huronum v. c.* lingua talibus vocabulis est referta \*). Non nisi

uno

\*) v. Monboddo über d. U. und F. d. Sp. I Th.  
p. 341.

uno verbo exprimunt haec enuntiata : *multum hic aquae adest ; magnam ex hac re voluptatem percipi ; ollam, aqua repletam, igne evertitis, cet.* Ejusdem indolis esse dicitur *Zend*, lingua antiquissimorum Persicae religionis monumentorum \*).

§. 22.

Jam vero notiones in actibus mentis nostrae primis positae sunt, ergo et vocabula, tanquam notionum signa, ad *κατηγορίας* sunt referenda. At cum *κατηγορίαι* vi tantum communi synthetico-objectivam conscientiae unitatem conficiant, fieri potest, ut una eademque notio ideoque unum idemque vocabulum cuivis earum generi tribui queat. Minime igitur putamus, si in paragraphis sequentibus vocabulorum quoddam genus *κατηγ.* certae cuidam subjecerimus, id non nisi ad hanc

\*) v. Anhang zum Zend-Avesta v. I. F. Kleuker, Leipzig u. Riga 1783. 4. zweyter B. zweyter Th. p. 9, seqq.

unam esse referendum, sed notionem ejus primariam fecuti sumus.

§. 23.

Ordiamur igitur a *Quantitate*. Huc pertinent omnium linguarum vocabula, vel *Unum* (Einheit) vel *Multum* (Vielheit) vel *Omne* (Allheit) exprimentia; v. c. *numeralia*, item *numerus* in declinationibus, cet. Jam vero aliis populus ad numerum modo quintum adscendat, ut *Caraibi* \*), aliis ad numerum vicefimum, ut *Kaintschadales* \*\*), aliis ad billiones, trilliones, rel. ut omnes populi cultiores, ubique eadem *Quantitatis* ratio est. Par ratio *numeri* in declinationibus formandi. Etenim non interrogamus hoc loco, quo modo, sed an in universum populus nominum suorum numerum formet. Dummodo igitur sciamus, Hebraeos

v. c.

\*) v. MONBODDO über den Urspr. d. Sp. i Th. pag. 351.

\*\*) v. Annual Register f. the Year 1764. p. 4.

v. c. et Graecos habere *Dualem*, alios populos eocarere; Hebraeos, Graecos, Romanos, Algoncos cet. formare *Pluralem* additis quibusdam suffixis, v. c. Algoneos addito K, ut *Alisnape* i. e. homo, pl. *Alisnapek* \*); Insulae O-Taheiti incolas adposita voce *worou*, v. c. *worou te Tata* i. e. homines \*\*); Anglos et Germanos mutato vocali in cognatam, v. c. *man*, homo, *men*, homines; *Boden*, pl. *Böden* cet. omnino omnem eorum *Pluralis* formandi modum *Quantitatis nautay*. supponimus.

§. 24.

*Qualitas* complectitur *Realitatem*, *Negationem* et *Limitationem*, ad quam igitur *comparationis gradus*, etiam si aliter atque aliter denotentur exprimantur-

\*) v. Nouveaux voyages de Mr. le Baron de la HONTAN dans l'Amerique Septentrionale. A la Haye MDCCIII. Tome second, p. 215.

\*\*) Ex libro, anglice a J. R. FORSTERO conscripto, nondum autem edito, quem, quae Viri Céleb. est humanitas, mecum communicavit.

manturque, referendos putamus. Hebraei quidem ad *Comparativum* exprimendum vocabulo sequenti o vel p̄ praeponunt, v. c. מְלֹא צָדֶקָה i. e. astutior omnibus; *Taheitii* vocem *maa* adjungunt, v. c. *maa rāhy* i. e. major; Graeci, Latini, Germani, aliique vel unam, vel plures syllabas vel etiam litteram voci addunt in fine, v. c. γλυκος, dulcis, C. γλυκυ-τερος, dulci-or; *trübe*, C. *trüber*. Porro Hebraei et *Taheitii* ad Superlativum formandum unum idemque vocabulum repetunt, v. c. Hebraei: טוֹב טוֹב; *Taheitii*: *maitai*, *maitai*, i. e. optimus; Caraibi vocem *man* adponunt \*), v. c. *iroupa man* i. e. optimus, cet.

### §. 25.

*Relationem* continere *Substantialitatem*, *Causalitatem* et *Commercium* constat. Omnes igitur voces, quae *Subjectum* exprimunt, *Substantialitati* adscri-

\*) v. Voyage de la France équinoxiale en l'isle de Cayenne. à Paris MDCLXIV.

adscribantur necesse est. Porro, quoniam Causalitas complectitur *causam* et *effectum*, etiam *agendi* et *patiendi* notio ad eam est referenda. Hac vero notione Verborum forma *Activa* et *Passiva* nititur, ergo hae ipsae formae ad *Causalitatem* redeunt.

## §. 26.

Ad designandam denique *Modalitatem*, quam dicunt, i. e. ad notionem ejus, quod *verum est*, aut *esse potest*, aut *necessario fit*, vocabula invenienda erant. Hinc Verborum *Modi* multaeque *particulae*.

## §. 27.

Omnes hi mentis nostrae actus constant ex primigenia et *synthesi* et *agnitione*. (Anerkennung.) Posterior actus, si notione comprehenditur, a *dialecticis* nominatur *copula*, quae omnibus in linguis vel singulo vocabulo expressa reperitur, vel in alio latet; utrobique vero *enuntiatio* notatur.

## §. 28.

## §. 28.

Si qua in linguis peculiaria vocabula, quae *enuntiationis* ad aliam exprimant relationem, inveniantur, eis *Conjunctionum* nomen tribuitur. Fieri autem non potest, quin *Conjunctiones* in omnibus linguis, secundum *enuntiationum relationem*, sint vel *hypotheticae*, vel *disjunctivae*, rel.

## §. 29.

Quae omnia docent, omnino omnes linguas ad *naturayogias* revocare posse. Meum autem non putabam, omnes linguarum partes secundum eas digerere, sed ejus esse, qui *Grammaticam*, quam dicunt, *philosophicam* scribere velit, ejusdemque, qui fructus ex hac digestione ad linguas ipsas redundare possit, demonstrare.







Ba 213.


82

WIP

ULB Halle  
007 379 692

3





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
20

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
Centimetres  
Inches

Farbkarte #13

D E  
GUARUM CONSENSU

I S P U T A T I O

Q U A M

A U C T O R I T A T E

ISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

P R O P O T E S T A T E

SCHOLAS IN ACADEMIA FRIDERICIANA

H A B E N D I

X X V I . J U L . M D C C X C V I .

P U B L I C E D E F E N D E T

A U C T O R

G. V O I G T E L ,

D. S. D O C T O R , A. A. L L. M A G I S T E R ,  
G Y M N A S. L U T H E R. C O L L E G A ,

A S S U M T O S O C I O

C H R I S T O P H. S T O E P H A S I O ,

S E M I N. P H I L O L. R E G. S O D.

H A L A E ,

T Y P I S B A T H E A N I S .